

quicumque fuerit pro tempore, et quatuor seniores saepedicti monasterii nostri totalem exsolvende pecunie summam recipiant et cessante qualibet fraudis versutia custodiam diligenter quousque de consensu totius capituli nostri cum eadem redditus seu proventus si possunt meliores seu saltem equales et eque bonos valeant iterum de novo comparare. Has igitur donationem et constitutionem per dominum Thidericum felicis memorie quondam nostri saepedicti monasterii abbatem, predecessorem nostrum novissimum antè dictum, tam rite quam rationabiliter factas, ratas habere volentes tenore presentium firmamus et approbamus, volentes nihilominus a nostris successoribus perpetuis temporibus inviolabiliter observari. In quorum omnium et singulorum premissorum evidentiam pleniorum presens scriptum nostro et nostri conventus sigillis est communitum.

Datum anno domini MCCCLXXII in die sancte Katarine virginis ac martiris gloriose.

*Abschrift im Privilegienbuche S. 82—86 mit der Ueberschrift: Billungstorp II chori tritici et in Osterwedigen II alii chori tritici. in cap. G XIII.*

1373, April 23.

228.

*Johannes, Abt zu Berge, bezeugt, dass der Koch Rost vom Conventual Bernhard von Dittfurt 1½ Scheffel Getreidezinsen aus Bahrendorf gekauft und dem Kloster zum Heil seiner Seele geschenkt habe. Zugleich trifft der Abt Anordnungen wegen der jährlichen Vertheilung der Zinsen.*

In nomine domini amen. Nos Iohannes, dei gratia abbas monasterii sancti Iohannis baptiste ordinis sancti Benedicti prope Magdeburgh, universis et singulis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentes literas inspecturis salutem in presenti et perpetuum gaudium in futuro. Vt ea, que tempore nostro iure et rationabiliter fiunt et ordinantur, ne per incuriam et negligentiam a memoria hominum recedant et tollantur, congruum est et expedit ut literarum testimoniis roborata ad notitiam etiam deveniant posterorum. Vnde cupimus fore notum, quod discretus vir Tilo dictus Rost, cocus et familiaris noster, unum chorum cum dimidio annone annuorum reddituum dimidie partis tritici, residue vero siliginis decimalis mensure, que vulgariter thegetmate nuncupatur, de campis ac metis ville Barendorp a religioso viro domino Bernhardo de Ditforde, dicti nostri monasterii monacho conventuali, nostro ad hoc accedente consensu et licentia speciali pro decem marcis Stendaliensis argenti eidem domino Bernhardo plene et totaliter exsolutis emendo comparavit. Quem videlicet chorum cum dimidio annone idem dominus Bernhardus a robustis famulis Wenero, Conrado et Hinrico fratribus dictis Schartow, qui eundem a predicto nostro monasterio iure tenuerunt pheodali et iure pheudi resignato, per realem et congruum emptionis